

V. Campanam hęc adhibitam scribit non metallicam, sed ligneam; eamque tredecim aut quatuordecim pedes altam & novem largam, adeoque satis grandem, picatam probe ferreisque circulis firmatam, quorum infimus campanę marginem muniens instructus fuerit annulis ferreis robustis totidem globos metallicos, sexaginta vel octoginta librarum singulos, gestantibus: Urinatorem in campana media supra trabem transversam confedisſe, funiculo quem manu tenebat signum daturum superis, ubi satis altę descensum eſſet; ex collo suspensum faccum, quoties eum adimpleviſſet captatis laminis, poſtea depleviſſe in faccos alios intra campanam relictos, ad quam reſpirationis gratiã ſe recepisset: ubi ſenſerit reſpirationem ex aëre per frequentiores iterationes nimium calente difficilem, signum iterum dedisse per ſonitum campanulę funiculo ipſius alligatę & extra aquam ſuſpenſę ex eadem trabe tranſverſa, quę Campanam Urinatoriam geſtabat, duabus columnis ſupra cymbas totidem erectis innixam: Mauros illos duos, qui per vices ita ad fundum demissi ſint, alterum potuiſſe minimum horas duas ſub aquis & campana reſpiratoria ſuſſistere, alterum non niſi horam unam; id quod ſatis demonſtret (ita pro nobis reſpondet Clariffimus *Panthotus*) quod aëris compreſſio non ſit ſola & unica cauſa difficultatis reſpirandi in tali caſu, ſed multo magis diſpoſitio pulmonum naturalis in aëre non difflato.

Phæn. I.

VI. Illud inprimis, tanquam notatu digniſſimum, narrat *Panthotus*, quod Urinatores iſti in fundo maris potuerint percipere, licet confuſius, vocem deſuper ex naviculis eis loquentium; cum e contra nemo horum ſentiret voces aut ſonitus ab Urinatoribus ad campanam reſerſis excitatos, etiamſi altã voce exclamãſſent: & poſtquam alter robuſtior ſecum ad ima deportãſſet cornu venatorium, ſimulac illud ſonare cœpiſſet, adeo obſurduerit & obſtupefactus ſit, ut vertigine correptus parum abſuerit quin in aquas prolaberetur.

Phæn. II.

Phæn. III.